



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. LIII. Aquipendii successionis. De eadem materia invaliditatis testamenti favore illegitimorum; Et quando legitimatio sufficiat ad istud obstaculum removendum necnè; Et an in dubio. id quod ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

# AQVIVENDII SVCCSSIONIS

PRO  
ECCLESIA COLLEGIATA  
ERIGENDA  
CUM  
CAROLO.

Casus resolutus per AC. pro Ecclesia, postea  
concordatus.

De eadem materia invaliditatis testamenti favore illegitimatorum; Et quando legitimatio sufficiat ad istud obstaculum, removendum necne; Et an in dubio, id quod disponitur favore illegitimi, presumatur adæquare id, de quo disponi potest pro alimentis; Et cui incumbat onus probandi excessum, vel adæquationem respectivè.

## SUMMARIUM.

- 1 **F**acti series.
- 2 Legitimus post mortem testatoris ex istius voluntate est capax dispositionis, dictæque voluntas sufficit etiam præsumpta seu adminiculativa.
- 3 Quod institutione vel substitutione resultet dicta voluntas.
- 4 Item ex clausula omni modo meliori.
- 5 Declaratur conclusio de qua num. 2. super præsumptionibus, & adminiculis, qualia requirantur.
- 6 De distinctione inter legitimatorem datam à Principe, vel ab inferiori.
- 7 Potius credendum est Doctoribus in licturis, quam in consiliis.
- 8 De conclusione de qua num. 3.
- 9 De conclusione de qua num. 4. super clausula omni modo meliori.
- 10 Ex quibus dicta voluntas potius tollatur.
- 11 De eodem, & de adminiculis contrariis.
- 12 An dispositio favore spurii in dubio censetur adæquata alimentis, & cui incumbat onus probandi adæquationem, vel excessum.
- 13 De eodem, & quomodo questio decidenda sit.

## DISC. LIII.

**I**n testamento quod condidit N. hæredem instituit ejus matrem, cui substituit Carolum filium ex muliere uxorata, illegitimè susceptum, cujus præmorienti, seu aliàs in pupillari ætate deficienti, substituit Ecclesiam, pro ejus erectione in Collegiatam; Deinde verò in codicillis disposuit, quod ubi dicta substitutio favore Caroli, de jure non subsisteret, Ecclesia censeretur purè substituta matri, cujus morte sequuta, orta est controversia coram A. C. inter Ecclesiam, & Carolum, post plures acerrimas disputationes favore Ecclesie decisæ, postmodum verò concordata.

In his autem disputationibus, stante legitimatorem per dictum Carolum, post mortem patris obtenta à Collegio scriptorum Archivii; Non negabant Scribentes pro eodem Carolo, invaliditatem dictæ dispositionis, quatenus non suffragaretur dictæ legitimatio, cum ageretur de filio adulterino, ob jura

litteralia quæ desuper habemus; Et è converso ego scribens pro Ecclesia, non negabam, quod ubi legitimatio, de voluntate testatoris obtenta esset, illa tolleret prohibitionem, ex deductis *disc. præced.* Idemque restringebatur questio ad punctum, an dici posset, ut legitimatio de patris voluntate sequuta esset necne.

In hoc autem, cum non constaret de mandato expresso, minusque deduci posset ex rati habitione, dum legitimatio sequuta erat post mortem; Hinc proinde restringebatur questio ad factum, an scilicet adesset præsumpta seu adminiculativa probatio, quam receptum est (atque ego scribens in contrarium admittebam) in hac materia sufficere, ex iis quæ, antiquioribus relatis, plenè habentur collecta per *Menoch. lib. 4. p. 148. 80. Lup. de Illegit. commen. 3. § 6.* apud quos præsumptiones, & adminicula distinctè recensentur, & per *Rot. dec. 33. par. 9. rec.* Unde propterea, certa, & determinata regula desuper statui non potest, sed adinstar omnium aliarum questionum conjecturalium, in singulis casibus, pro eorum particulari qualitate, & circumstantiis, diversimodè decisio resultat.

Ex tribus autem, Scribentes pro Carolo, pro dicta dispositione sustinenda, hujusmodi voluntatem desumebant; Primò nempe ex ipsa substitutione universalis, per quam in mente testatoris verisimiliter extitura, juxta ordinem naturæ, substitutus, futurus erat ipsius hæres universalis, quod de jure, stante dicto impedimento, effectum sortiri non poterat, nisi per legitimatorem, quam ita virtualiter testator desiderasse, seu demandasse videtur, ex regula, ut qui vult consequens, voluisse censetur necessarium antecedens, ut advertit *Bal. cons. 58. lib. 4. in fin.*

Secundò ob clausulam omni modo meliori, quam in specie ex *Lancellotti. Gallia observat Peregrin. cons. 68. num. 3. lib. 2.* Et tertio ob verisimilitudinem deductam ex nimia benevolentia ostensa erga dictum substitutum, quem testator matri nimium commendavit.

His tamen non obstantibus, contrarium pro Ecclesia judicatum fuit (Et quidem justè), quoniam, ut benè advertitur per *Ruin. cons. 109. num. 25. & seq. lib. 2. Peregrin. dicto cons. 68. & admittitur per Rotam dicta dec. 33. par. 9. rec.* Quamvis dicta conclusio vera sit, ut etiam præsumpta, seu adminiculativa hujusmodi voluntatis probatio sufficiat; Attamen id procedit, quatenus agatur adminiculis proximis, ac directis ad ipsam legitimatorem; Puta quia preces, vel mandatum dederit, pro illa obtinenda, quam vivens perficere non potuerit; Sive quod hujusmodi voluntatem coram testibus declaravit, ut est casus, de quo agitur *dicta dec. 33. par. 9.* Vel, quod crediderit eum esse jam legitimatum, & capacem, ideoque eum tanquam talem tractaverit, ac instituerit, quamvis deinde detegatur eam non esse veram, vel non esse sufficientem, dum ita etiam probatur voluntas, ut ex *Tafon. cons. 202. & aliis advertit Giavagn. cons. 17. num. 18. lib. 2.* cum similibus ex quibus resultet, quod illi actus, ex quibus hujusmodi voluntas desumitur, directè, ac proxime percutiant legitimatorem.

Si etenim ex sola institutione, vel substitutione, aut alia dispositione, talis voluntas resultaret, exinde sequeretur, quod inanis, ac fatua remaneret regula prohibitiva, dum ita ex sola dispositione, illegitimus post mortem testatoris, posset se legitimari facere ab istis inferioribus, qui non habent potestatem tollendi jus questum alteri, juxta distinctionem, de qua *sub tit. de fideicom. disc. 68. & sub tit. de Regalib. 6*

*disc. 148. cujus contrarium firmat Bal. in l. eam, quam num. 48. C. de fideicommissis. Ideoque advertebam, ut etiam advertit Rota decis. 438. num. 12. par. 9. rec. quod potius credendum esset Baldolegenti, quam eidem consulenti, cum in lecturis habeatur sola veritas præ oculis; Consulentium autem doctrinæ utpotè conductivæ ad pecuniam, vel ad affectionem semper suspecta sunt, ut advertunt Rota ubi supra, & Franch. decis. 260. num. 5. & 6. & alii communiter.*

Eademque responsione, de plano tolli dicebam adminiculum deductum ab affectione, quoniam cum sine ista, non detur dispositio, hinc proinde esset eludere, atque prorsus fatuam reddere dictam regulam prohibitivam; Ista etenim circumstantia, apta quidem est inducere unum ex adminiculis, cum aliis conjungendum, seu verius, robor, ac efficaciam tribuere aliis præsumptionibus, & adminiculis proximis, quæ dictum finem, seu effectum percutiant, non autem, ut de per se operativa sit.

Quo verò ad clausulam, *omni modo meliori*; Advertebam, illam forè considerabilem, ac operativam esse, ubi particulariter, ac directè, & immediate adjecta esset ipsi dispositioni; Secus autem, ubi ea sit generalis pro universo testamento, ut in specie advertit Soccin. jun. conf. 91. n. 26. & sequens, qui reprobat Galianul. loco citato; Atque occasione aliarum clausularum, vel juramenti, seu attestationis pro exoneratione conscientie, advertitur pluries in aliis *hoc eodem tit.* distinguendo inter clausulam generalem, & specialem.

Non solum autem, in hac facti specie non aderant adminicula proxima, & univoca hujusmodi voluntatem redolentia, sed potius observabam, quod ex dicta dubitativa codicillari dispositione, diversa voluntas resultaret, quoniam si id in animo habuisset, cocepisset substitutionem sub conditione legitimationis, ac si, & postquam illa sequuta esset, ipseque illegitimus, effectus esset capax, quod receptum est rectè fieri posse, ex dicta ratione voluntatis, quæ ita resultare dicitur, ut punctualiter advertit Ruin. d. conf. 109. num. 25. lib. 3. quem refert, & sequitur Peregrin. d. conf. 68. num. 2. lib. 2. Ideoque advertebã intrare clarum dilemma inevitabile, quod, Aut testator cogitavit ad remedium legitimationis, Aut non; Si cogitavit, ita potius intrabat argumentum contrariæ voluntatis, dum tale remedium adhibere noluisset, juxta ponderationem Ruin. loco citato; Et si non cogitavit, ergò intrare non potest præsumpta voluntas, quæ nunquam trahitur ad incogitata.

Alterum contrarium adminiculum, resultabat ex omisso titulo honorabili institutionis, quem aliàs testator adhibuisset, si talem filium, tanquam legitimum tractare voluisset; Ac etiam ex modo educationis demandatæ penes ipsammet matrem inhonestam, cum aliqua modica menstrua assignatione pro sustentatione, quod est verisimile, si testator eum natalibus restituere voluisset, atque eum tanquam legitimum tractaret; Idèdque non eo, quod testator aliquam affectionem ergà puerum ostenderet, illum commendando matri hæredi institutæ, exiadè ad talem voluntatem inferri poterat, quoniam stant simul, ut hujusmodi filii diligantur, & tamen absit voluntas eos declarandi legitimos, eosque cooptandi in familiam, ob malam qualitatem matrum, ac infimas, indignasque parentelas, quas istarum ratione contrahunt; Et ex his Judex pronunciavit pro immisione Ecclesiæ, quam solum obligavit ad congruam menstruam præstationem, seu aliquam quotam pro alimentis, super quibus, eorumque majori, vel minori taxatione, fuit coram judice appella-

tionis major controversia, quæ deindè per concordiam finem habuit.

Ista verò occasione, disputatum fuit, an dispositio facta ad favorem spurii, substineretur ex capite alimentorum, quibus dispositio proportionata præsumeretur, adèd ut hæres illam impugnare volens, ex capite excessus, teneretur illum probare, vel potius e conversò, esset onus ipsius spurii substinere volentis dispositionem, aliàs invalidam probandi congruitatem.

Istam verò quæstionem, singulariter, & ex professo expendit *Surd. conf. 248.* ubi substinet, onus esse spurii probare congruitatem; Verùm decisio (ut tunc ista occasione ponderabam), pro meo judicio ea congruentior esse videtur, ut id repositum sit in arbitrio Judicis, ex facti circumstantiis regulando, inspecta scilicet, bonorum quota, vel quantitate, juncta cum qualitate personarum, ac more regionis, & similibus.

Concordiæ autè, de facili consilium præbui, quoniam licet de stricto jure, præmissa probabilitatem habere viderentur, quodque efficax esset dictum argumentum ponderatum *per Ruin. alleg. conf. 109.* quod scilicet, ex substitutione facta de alio, neglecto remedio legitimationis, resultaret potius conjectura exclusiva voluntatis legitimationi; Attamen, inspecta qualitate personarum, & loci, reverà, atque attendenta rei substantia, potius id provenerat ex ignorantia testatoris, ejusque consiliiarii, dictaque cautela, adjecta potius fuit, ob timorem fisci, nè aliàs ille manus in hæreditate apponeret; Reverà tamen voluntas testatoris videbatur esse, ut fieret totum id, quod pro substinenda dispositione fieri posset, ac deberet; Ideoque attendenta regula, quæ in quibuscumque humanis actibus, præsertim verò in istis per ultimam voluntatem, perpetuò attendenda est, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia verisimilis voluntatis, spectari debeat, nimium de præmissis dubitari poterat; Et de qua regula pluries *hoc eodem tit.* frequentius autem *sub tit. de fideicommissis*, ac etiam in omni alia ferè materia; Ea etenim hujusmodi quæstionum voluntatis, major, ac primaria regulatrix esse debet.

## MVTINEN.

I S E U &amp;c.

## TESTAMENTI

AD PETITIONEM

ALPHONSI.

Responsum pro veritate.

De eadem materia invaliditatis testamenti ordinati favore illegitimatorum, Et quando istis legitimitatio obtena à Principe laico pro sit, si testator sit clericus, vel in bonis extrà territorium; Et de Constitutione Pii V. contrà illegitimos.

## SUMMARIUM.

- 1 Acti series.
- 2 De punctis, seu quæstis.
- 3 Pater tenetur de jure canonico ad alimenta filio naturali, etiam si sit clericus.
- 4 Non obstante Bulla Pii V. qua non substatuisset competentia de jure communi.

s An